



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola XLIV. Alexandri Papae III. Ad Omnes Fideles.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

celebri fama, sed & dilectorum \* filiorum nostrorum Al-<sup>fratrum</sup> berti, tituli sancti Laurentii in Lucina, & Theodini tituli sancti Vitalis, presbyterorum cardinalium, apostolicæ sedis legatorum, & aliarum plurium personarum testimonia certitudinem plenam habentes præfatum archiepiscopum in capite ieiunii, multitudine clericorum & laicorum præsente, in ecclesia, deliberato cum fratribus nostris consilio, solenniter canonizauimus; eumque decreuimus sanctorum martyrum collegio annumerandum: vobis & vniuersitati fidelium de Anglia apostolica auctoritate mandantes, ut natalem eius diem, quo vitam suam gloria passione finiuit, annis singulis cum debita veneratione celebretis. Quoniam igitur dignum est, & vobis plurimum expedit, ut sanctum corpus eius cum ea, quæ decet, reuerentia & honore condatur; discretioni vestre apostolica auctoritate mandamus, quatenus corpus eius, deuote & reuerenter, facta solenni processione, aliquo solenni die, congregato clero & populo, in altari honificice recondatis: aut ipsum in aliqua decenti capsâ ponentes, prout conuenit, eleuetis in altum; & patrocinium eius pro salute fidelium & pace vniuersalis ecclesiæ satagatis apud Dominum vestris piis orationibus impetrare. Valete. Datum Signiæ quarto Idus Martii.

EPISTOLA XLIV.  
ALEXANDRI PAPÆ III.  
AD OMNES FIDELES.

*De canonizatione eiusdem.*

**R**EDOLET Anglia fragrantia & virtute signorum, quæ per merita illius sancti & venerandi viri Thomæ quondam Cantuariensis archiepiscopi omnipotens Deus operatur, & vniuersa vbiique latatur fidelium Christiana religio, pro eo quod ille, qui est mirabilis & gloriosus in sanctis, sanctum suum post mortem clarificauit, cuius vita laudabilis multa fulsit gloria meritorum, & tandem martyrio consummata est certaminis gloriosi. Quamuis autem de sanctitate ipsius dubitare non possit, qui eius & laudabilem conuersationem attendit, & gloriosam considerat passionem, voluit tamen Redemptor atque Salua-

tor noster eius sanctitatis insignia magnificis radiare miraculis : vt qui pro Christo insuperabilis virtutis constantia necessitates & pericula pertulit , sui laboris & certaminis in æterna beatitudine cognoscatur ab omnibus percepisse triumphum . Nos vero auditis innumeris & magnis miraculis, quæ iugiter per sancti illius viri merita fieri vniuersitas narrat fidelium , & super his non sine magno gaudio per dilectos fratres nostros Albertum tituli sancti Laurentii in Lucina, & Theodinum tituli sancti Vitalis , presbyteros cardinales, atque apostolicae sedis legatos , qui eadem miracula tanto perspicacius didicerunt, quanto amplius sunt loco vicini, præcipue certiores effecti , & plurium aliarum personarum testimonio fidem sicut debuimus , adhibentes , prædictum archiepiscopum solenniter in ecclesia, magno ibidem clericorum & laicorum collegio præsente , in capite ieunii , delibерato fratum nostrorum consilio canonizauimus, ipsumque decreuimus sanctorum catalogo adscriendum . Vniuersitatem itaque vestram monemus , & auctoritate qua fungimur districte præcipimus , vt natalem prædicti gloriosi martyris diem passionis suæ solenniter annis singulis celebretis , & apud ipsum votiuis orationibus satagatis veniam promereri : vt qui pro Christi in vita exilium , & in morte virtute constantiae passionis martyrium pertulit , fidelium iugi supplicatione pulsatus, pro nobis apud Dominum intercedat . Datum S igniæ quarto Idus Martii .

## E P I S T O L A E X L V . X L VI . &amp; X L VII .

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD PETRVM CASSINATEM, AD CANTVARIENSEM,  
ET AD EBORACENSEM EPISCOPOS.

- De rebus Venetiis gestis.

*Extant infra in actis Concilii Venetici.*